Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1387

Quelle:
Copyright:

Novi, quem *Innocentius* IV. jam 1253. Sanctis adscripserat.

III. *fol.* 132. p. 2. *Aduerte in nomine christi amen, quod subsequentia notata sunt de adam. Adam* hic *Anglus* mihi videtur Magister *Parisinus*, de quo *Bulaeus* in *Hist. Univ.* T. I. p. 149. *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* et cujus Scripta in *Magistrum Sentent.* et *Quaestiones ordinarias* facile primi Academiae *Vindob.* Conditores *Henricus de Hassia* et *Henr. de Oyta* secum e *Gallia* deferre potuerunt. Ineunt Excerpta nostra prorsus miscella: *Studium sacre scripture est meritorium vite eterne* &c.

IV. *fol.* 164. p. 2. *In nomine christi de summa, aduerte.* Difficile est, inter tot *Summas* dispicere, quam innuat Noster, qui incipit: *Cause errorum sunt 8. Primus est ignorancia mensure et capacitatis intellectus humani* &c.

V. *fol.* 188. *In christi nomine Amen. Sequentia notata sunt D. de Oyta. Henrici* nempe *Parisiis* evocati ab Alberto Duce a. 1379. ad docendas apud nos sacras Literas, de quo plura P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 58. Notatorum initium: *Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est* &c.

DCXVII.

U. 451 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas multis quidem compendiis, sed luculente et nitide perscriptus, fronte deaurata et picturata, coloribusque per totum illustratus titulo quidem nullo insignitur, sed ad calcem ita habet: *Explicit istud opus de causa dei contra pelagium et de uirtute causarum* (et de) *uirtute dei cause causarum perscriptum parisius. anno millesimo. CCC^mo. XLV°. domini ihesu christi.* Habemus itaque Opus, de quo jam *Vol.* I. P. 2. *col.* 1387. egimus, *Thomae Bradwardini*, quem in *Brauardinum, Bragwardinum* &c. corrupere Librarii, *Cicestrienſis Angli*, et quidem Autore etiam dum vivo descriptum; annum enim ille 1349. supremum censuit creatus tunc *Cantuar.* Archiepiscopus. At vero, quid *Libro* ejus I. factum sit, ignoro; nam praesens Codex distractus a socio *Librum* II. auspicatur his verbis: *Tractatu siquidem premissorum huc vsque continuo progressoque in longius quam putaui* &c. quae exacte usque ad *Libri* III. et ultimi finem cum unica Editione *Londin.* ab *Henr. Savilio* 1618. f. curata ita conspirant, ut plane eadem Clausula, quam supra adtuli, in *Savilii* Codice fuerit illo solum discrimine, quod pro *Parisius* et anno 1345. *London* et annus 1344. exhibeatur, adeoque, nisi locorum obesset distantia, noster ex illo descriptus videri possit.

DCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 128. f. per duas columnas exaratus omnes III. *Libros* praedicti Operis complectebatur, U. 452